

monstrativas, quibus perfectius Deum cognoscunt; quatenus per demonstrationes clare, & scientificè cognoscunt quem

prius implicite solum, & quodammodo in genere cognoscebant.

## DISSERTATIO VII.

*De Dissidio inter Scholasticos, An propositio, Deus est, sit per se nota?*



Rout diversimode propositio per se nota a Scholasticis explicatur, diversimode pariter propositio, *Deus est*, ab iisdem conceditur, aut negatur, quod sit per se nota.

Unde re vera putamus, quæstionem hanc, in Scholis clamore magno agitaram, vel esse de solo nomine, vel esse de re, cujus significationem, aut non explicant altercantes, ut percipiunt, aut non percipiunt, ut explicant. Nos libenti animo constituimus, illam nec verbo attingere; ne tempus terere videremur, aut defendendo quod non negatur, aut confutando quod conceditur. At tamen, pro faciliori Scholasticorum intelligentia, & ne quererentur Legentes, parcos nos esse in eo, in quo cæteri sunt luculentissimi, instituiimus, potius rem ex aliorum iudiciis exponere, & ex nostro non addere, nisi quæ aptiora videbuntur, & ad ipsorum dissidia componere, & iudicia concordare.

Conveniunt omnes, propositionem per se notam idem esse, ac propositionem per se cognoscibilem; & quamvis nota dicatur, non per hoc debet actu intellectui innotescere; sed sufficit, quod, quantum est ex se, ex sola terminorum apprehensione, apta sit sui notitiam intellectui causare. Nec per hoc, quod dicitur nota, debet necessario includere cognoscentem; unde sit inutilis replicatio terminorum dicere illam notam quoad nos, quia ex suppositione, quod sit nota, nobis cognoscentibus debet esse nota. Hoc ipso enim, quod nota idem est, ac cognoscibilis, importat utique potentiam passivam in ipsa re ad cognosci, quæ quidem, vel est talis, ut de se statim pateat, vel est talis, ut aliqua ulteriori indigeat indagine. Si primum? propositio erit per se nota quoad se tantum; si secundum? erit etiam nota quoad nos. Hoc est, in primo casu erit cognoscibilis statim ex terminis; in secundo casu erit cognoscibilis ex ipsorum terminorum connexionem,

quæ nequit sine ulteriori cognitione evenire.

Explicantes autem propositionem per se notam Scholastici non conveniunt; & inde potissimum eorum altercationes oriuntur. Re vera tamen, si eorum explanationes, pacato animo, & absque præconceptione, opinione, considerantur, omnes comperiuntur in idem convenire. Scotus apud Hennum docet, propositionem per se notam esse illam, cujus veritas ex sola terminorum apprehensione evidenter cognoscibilis est sine alio medio a priori. Idem Scotus apud Frassen pariter docet, propositionem per se notam esse illam, in qua prædicatum est de essentia subjecti. S. Thomas apud Paulum Mariam Cauvinum trac. 2. de Deo, & Attributis disp. 1. quæst. 1. §. 1. docet insuper, esse illam, cujus prædicatum includitur in ratione subjecti, vel est de ratione ejus. Idem quoque docet apud Cacheranum trac. 1. de Deo uno c. 1. §. esse illam, quæ dicit immediatam connexionem subjecti cum prædicato. P. Boucat hæc scribit: „ Propositionem aliquam posse esse notam dupliciter, nempe quoad se, & quoad nos. Propositionem esse notam quoad se, est prædicatum esse de essentia subjecti; ut ista, homo est animal rationale. . . . Propositionem vero esse per se notam quoad nos, est prima apprehensione, & sine discursus ope, concipere prædicatum convenire subjecto; ut in ista: totum est majus sua parte. „ Gaspar Juenin instit. theol. t. 2. dissert. 1. quæst. 3. scribit; propositionem per se notam esse eam, in qua prædicatum ita immediate connexionem est cum subjecto, ut excludat causam naturam, aut rationem priorem, per quam manifestetur. Nicolaus Girken in summa summæ theologiæ trac. 2. quæst. 1. dub. 1. asserit; Deum existere esse per se notum sapientibus; & illud esse per se notum sapientibus, quod omni intellectui rite disposito innotescit ex sola terminorum significatione. Tandem, ut alios mittamus, hæc transcribimus